

litteras desuper necessarias et oportunas erigendi et concedendi, aliaque omnia et singula faciendi dicendi gerendi et exercendi, que in premissis et circa ea necessaria et opportuna fuerint, queque ueri legitimi et indubitati procuratores et mandatarii facere possunt, et denique que nosmet facere possemus, si premissis omnibus et singulis presentes et personaliter interessemus, etiamsi talia forent, que mandatum exigenter magis speciale quam presentibus est expressum, promittentes in uerbo Regio, nos habituros ratum et gratum quicquid per supradictos procuratores nostros uel maiorem ex eis partem circa premissa gestum et illorum occasione promissum fuerit, nec aliquid contra ea uel eorum aliqua ullo unquam tempore attentaturos siue per nos aut interpositas personas quauis uia occasione uel modo, harum testimonio litterarum sigilli nostri appensione roboratarum. Datum in Ciuitate nostra Vienna, die quinta mensis Decembris Anno domini millesimo Quingentesimo Vicesimo sexto. Ferdinandus (manu propria). Vidit L. de Harrach Cancellarius. Ad mandatum Serenissimi Domini Regis proprium Jo. Maius." Cum Reverendissimo, Spectabilibus, magnificis, Strenuis, Nobilibus ac aliis omnibus et singulis Dominis et prudentibus uiris Statuum et Ordinum inclyti Croacie Regni, Dominis et amicis nostris plurimum honorandis et dilectis plura egissemus et tractauissemus, ut predictum Serenissimum D. Regem etc. et sacre sue Regie Majestatis Consortem Serenissimam Principem et Dominam Dominam Annam Hungarie, Bohemie et Croatie Reginam, Principem et Dominam nostram gratiosissimam, in naturalem legitimum verum et indubitatum eorum Regem et Dominum, Reginam et Dominam, recognoscerent, prestarentque eisdem desuper debitum fidelitatis et homagii Juramentum; et ipsi id totum libenter deuote iocunde et reuerenter fecissent, quemadmodum in eorum literis, nobis ea propter assignatis, clarius intueri licet.

Quod nos idcirco, ut aliquid inde boni iure merito consequerentur, illis, vice et nomine prenominati Regis nostri, promisimus et polliciti sumus, prout tenore presentium libere promittimus et pollicemur, pariter uigore dicti mandati, hec que infra sequuntur:

In primis, quod Serenissimus Rex noster pro tuitione sui Regni Croatie tenebit in ipso Regno mille Equites cum stipendio trium Ducatorum pro singulo Equite, et ducentos pedites, ita tamen, quod eosdem pedites et ducentos Equites Sue Regie Majestatis Supremus Capitaneus aut quiscunque alius cui Sua Maiestas id oneris demandabit, libere et sine omni dictorum venerabilium Statuum et Ordinum aut cuiuscunque alterius contradictione conducere debeat, reliqui autem Octingenti Equites inter dictos Status et ordines diuidentur secundum honestam et convenientem vnus cuiusque conditionem. Quodsi vero Regia Maiestas eosdem Equites extra Regnum conduci iusserit, tenebuntur illi seruire cum stipendio pariter trium Ducatorum per primum mensem tantum, quo elapso statim illis tantum stipendii dabitur quantum aliis sibi similibus equitibus.

Secundo. Sacra Regia Maiestas condecensem bellatorum numerum in confinibus Ducatus Carniole Croatiam versus tenebit.

Tertio. Sua Maiestas arces et fortalitia in hoc Regno reuideri, et illis de rebus necessariis prouideri faciet.

Quarto, assecuramus nos eosdem Status et Ordines, quod eadem Sacra Regia Maiestas omnia et singula eorum priuilegia jura liber-